

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0822
	0820
	0826
	0816
249	0831
inter eos, sive erant liberationes imperfectae, quae non potuerunt durare, quia faciliter rumpuntur pacta et juramenta, praecipue inter eos, qui ad eandem sectam induci non possunt, sicut sunt Christiani et Saraceni, inter quos est etiam naturalis inimicitia et odium disparis naturae, conditionis, moris et sectae.	0811
Tractatus	0871
De totali liberatione Jerusalem et dominici sepulchri per occidentales populos.	0771
Sepulchri dominici et civitatis Jerusalem et totius terrae sanctae redemtio et liberatio totalis facta est sub Heinrico, hujus nominis tertio, imperatore theutonico, Bavarо, et Urbano Papa, hujus nominis II., quamvis antecessores eorundem in conciliis et aliis diaetis et congregationibus principum et episcoporum de hoc saepe consilia habuissent et factum ipsum inchoassent, sed sine profectu. Unde tempore Heinrici II. hujus nominis imperatoris, et Victoris II. Papae, Alemanni, in concilio apud Turonem Galliae civitatem celebrato, anno Domini 1055., ordinatum fuit de terrae sanctae liberatione. Porro eo tempore Othus, magni ingenii maximaque rerum gerendarum scientiae, ad pacem quidem et bellum perutilis, Angleriae comes Mediolanique princeps, insignis erat. Hic ab omnibus, qui Turonensi Synodo advenerant, ejus virtute cognita capitaneus exercitus Domini contra Turcos et Saracenos ad liberationem sancti sepulchri Domini in Jerusalem electus fuit. Qui pontifici caeterisque regibus uno annuit animo, Jerosolymamque cum reliquis in bellum profectus est. Dumque circa eandem cum reliquis Christicolis hiemaret urbem, multa quidem incommoda et damna Saracenis intulit et civitatem sanctam angustavit, eam tamen capere nullatenus valuit. Interea eo obsidente, Volucer quidam nomine, Arabs, paganus trans Jordanem princeps, eo viso, ut erat animo audax, ipsum Othum per interpretem ad singulares congressus invitavit, quae res ab eo facillime exorta est, ac sic denique sextam post diem ambo ad duellum processerunt equestres	0921
	0721
	0321
	Ende
	Anfang